Arnhemiae a. d. IV. Id. Sextil.

35.

Clarissimo atque Eruditissimo Viro
Gotl. Cortio
s. d. p.
Henr. Cannegieter

Literae de honoribus consultissimo Mascovio nuper a Curatoribus Gelricae Academiae habitis ad vos prius quam ad nos ejus rei fama pervenit. Tametsi forte id tibi incredibile videtur, dejerare tamen liquet, me non prius de ea re quidquam cognovisse, quam nunciatum est ~~quam~~ Mascovium delatam Professionem accepisse, quod ante hos paucos dies forte in amicorum circulo fuit narratum, non in hac urbe nam juxta mecum ignarissimo omnes hic ignorarunt, nisi quod nunc nonnullis res a me est relata, quibus vix ~~fidem feci~~.

57 v

eam persuasi. Quid monstri alant Harderovicenses, quod nullus eorum ad quemquam amicorum de eo negotio perscripserit non equidem exputo. Hoc ipso temporis articulo obsignavi literas quas ad hominem mihi amicissimum Harderovicianum dedi ut tandem intelligam quid caussae sit, cur hac in parte fidem nullam praestiterint quam usque adhuc in rebus ceteris religiose admodum ac sanctissime servare consuerunt. Sollicitus namque erat ille se diligentissime quid-quid gereretur in ea caussa esse perscripturum. Quod ut faceret, magnopere eum flagitavi, sperans rem me non ingratam esse facturum, si tibi quam celerrime certiorem [illegible] quidquid acciderit, impertirem. Immo vero, mihi crede Clarissime et liceat dicere, amicissime Corti, cetera omnia, de quibus officio meo adductus ad te scribere decreveram, in id tempus rejeci, quo eventum Harderovicenarum consultationum iisdem literis complecti possem. Quantopere autem me nunc deceperit illa spes, tute intelligis, tametsi nequaquam intelligere possis, quam moleste id feram, non quidem

~~mea causa~~ ulla commodi mei causa, nisi forte commodum maximum fueris arbitratus, quod equidem semper arbitratus sum, & re ipsa probare fidem. ~~[illegible]~~ Quia vero copia haec ostendendae meae in ~~rebus~~ te sedulitatis erepta est, studiosis et totus nunc in eo sum ut aliam quaeram. Si forte per hanc urbem Hardervicum pergit Muscovius, quod iter haud quaquam incommodum ei est, scribe quid tua causa officii huic a me praestari velis. Hospitium pro meo in te animo liberale, amicitiam promtam ultro et libentissime spondeo, et deductionem in ipsam urbem, quam petit Harderovicum, si res meae eo quidem tempore, quo ad nos accessurus est ita ferunt. Sin autem horum nihil est, quod tibi placere queat, scito et mihi nihil esse cur ipse illi tantopere placere velim. Neque forte mihi ille factum optime velit, praesertim si resciverit mea opera vulgata ea esse quae ad me perscripsisti. De quibus forte mihi plus, quam tibi est metuendum. Siquidem mortalium nemo est, qui a te haec profecta noverit, communicata a me cum amicis iis qui minime Muscovio studuerunt. Vivit in hoc commen-

dando Heineccii auctoritas apud Virum illustrem
van Linde, quem ille cum in Frisia esset, cognoscere
coepit. Eo namque tempore vir hic illustris adjun-
ctus erat nomine Gubernatoris principis Arausi-
onensis cum maxime praefecto huic Geldriae no-
strae. Vir ille van Linde est natalium splendore
nobilissimus, meritis atque auctoritate maximus,
praeterque alios honores summos quos gerit,
Curator etiam est Academiae Harderovicenae.
Aperte nihil in hac caussa a me factum est, imo Cura-
torum neminem conveni, ne ullam suspicionem
studii mei, quod nullum erat, praeberem: praeser-
tim postquam audivi, percrebruisse famam, re-
cusata professione in Academia Groningana, quae paucis ab
hinc mensibus luculento honorario imo luculentiore
quam unquam Historiarum professori istic est solutum
proposito majoreque promisso si promtus honores hos
arriperem, mihi delata est, me non abhorrere ab
hoc loco in Academia magis vicina, siquidem omnes
norunt me non sine maxima jactura, sum-
maque meorum indignatione hinc in longin-
quiores terras discedere posse, quaecunque tandem mihi spes
ostenderetur. Sed haec hactenus. Excusatio autem
longior nunc locum intercepit declarandi animum pro-
tum in me beneficiis et prolixa voluntate quam prae-
stitisti in conciliando Fabricii Hamburgensis ami-
citia, viri non variae eruditionis
laude quam humanitate nobilioris, is ad me misit
variantes lectiones Avieni haustas ex editione madri-
tensi. Cabeljavii vero notas cum Burmanno com-
municavit. Usque adhuc me res multae domesti-

[illegible]